

atur, huius secundæ librationis anomalia 1717. annis ægyptijs perficietur. Quare & obliquitatis anomalia ex tabulis desumpta duplicata, præcessionis anomalam reddit: & illi simplicis, huic verò duplicatæ cognomen est.

*Anomalia  
simplex, &  
anomalia du-  
plicata.*

*Duabus his  
librationi-  
bus Corolle  
intorta deli-  
neantur.*

*Altera hac  
libratione  
vera Anni  
solaris ma-  
gnitudo aliàs  
minor, aliàs  
maior effici-  
tur.*

*Motus stella-  
rum fixarum  
hinc quoque  
velocior vel  
tardior appa-  
ret.*

Quòd si secunda hæc libratio tantum ponenda fuisset, angulus inclinationis plani æquinoctialis veri & eclipticæ, quod quidem dignum animadversione esset, non variaretur, ut patet; Verum omnis apparentiarum diuersitas propterea contingens in sola præcessionis æquinoctij inæqualitate deprehenderetur. Vtriusq; autem librationibus coincidentibus, poli terræ sibi inuicem occurrentibus ut dictum, motibus, circa polos æquinoctialis medij, figuras corollarum intortarum delineabunt.

Et cum poli terræ in colurum distinguentem solstitia media incidunt, verus colurus cum medio in eodem iacebit plano: punctumq; vernale verum cum medio coniungetur, cum tamen nisi polis vtriusq; æquinoctialis coniunctis, plana æquinoctialium, & colurorum distinguentium tam media, quam vera solstitia, & æquinoctia, non omnino coniungentur. Polo autem septentrionali in parte à c secundæ librationis versus a dextrum limitem, morante, meridionali polo in puncto opposito constituto, æquinoctium verum sequitur medium, & Sol prius in medium, quam verum æquinoctialem incidit. Sed polis terræ mundi latera permutantibus, ut nempe polus borealis à coluro solstitiorum mediorum sinistrum, australis dextrum latus teneat: verum æquinoctium præcedit medium, citiusq; Sol cum vero, quam cum medio æquinoctiali congregitur. Cæterum ab a versus b polis terræ procurentibus; quia æquinoctium verum Soli quasi obuiam procedit, annus ad æquinoctia propter hanc causam decrescit: à b verò versus a, cum Solem quasi fugiat, annus ad æquinoctia crescit. Et polis terræ circa c hærentibus, breuiori annorum spacio notabile anni incrementum, aut decrementum percipitur.

Cumq; apparens stellarum fixarum processus annuæ quantitatis ad æquinoctia colligatus sit, eadem prorsus ratione velocior, & tardior punctorum solstitiorum & æquinoctiorum à stellis fixis elongatio in antecedentia animaduertitur.

Schema